

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Heinrich Meibom

**Carmen Panegyricum, In Exequiis Funebris Reverendissimo Et Celsissimo  
Principi Ac Domino, Dn. Johanni, Lubecensium Nuper Antistiti, Norwegiae  
Haeredi, Sleswici Holsatiaeque Duci &c. Adornatis**

Lubecae: Jaegerus, 1655

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn812766512>

Druck Freier  Zugang






1883 21 Februar

Hc-12<sup>1-12</sup><sub>1-51</sub> <R> <














33

CARMEN PANEGYRICUM,  
IN EXEQUIIS FUNEBRIBUS

REVERENDISSIMO Et CELSISIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,

DN: JOHANNI,  
LUBECENSIMUM NUPER ANTISTITI,  
NORWEGIÆ HÆREDI,  
SLESWICI HOLSATIAEQUE DUCI &c.

ADORNATIS,  
CONSCRIPTUM

<sup>AB</sup>  
JOANNE HENRICO MEIBOMIO,  
REIP. LUBECENSIS ARCHIATRO.



---

LUBECÆ,  
Typis GOTHOFREDI JÆGERI,  
ANNO CHRISTI M. DC. LV.

CARMEN PANEGYRICUM  
IN EXEQUIIS FIDEI  
PRAEFESTISIMO ET ORATIONE  
PRINCIPI ACADEMICO  
DN: IOHANNI  
LIBERENSINI NERANTII  
NORAEICAE HERALDI  
SILESIAE HISTORIAE DICENTE  
VDOBONIAE  
CONSCRIPTA  
JOANNE HENRICO MELMOMIO  
REG. LIBERENSIS ARCHIATHO.

LIBERENSIS  
Tunc GOTHICUS LIBERENSIS  
VNUO CERTUS W. DC. IV.



Er rediit, ver purpureum, quod frigore  
longo

Torpentes laxavit agros: quod grama campis,

Arboribusq; comas, fluiis quod reddidit undas:

Quod Zephyros fecit spirare tepentibus auris,

Insectisq; dedit vitam, silvasq; canore

Implevit: quo, ceu senio tardante, soluti

Lætior & ridens facies apparuit orbis.

Aspicimus nempe hoc lætentur ut omnia vere!

Viscera sanguis init novus, & defecta salubres

Pectora concipiunt succos, ipsæq; resurgunt

Corporis atq; animæ desueta ad munia vires.

Scilicet æterni sunt hæc præludia veris,

Quo sol justitiæ, viva illa & vivida lampas,

Pulchrior exoriens, hyemis confecta veterno

Secula restituere: quum mors abolebitur atra,

Morborumq; manus: quum continuata perennes

Sabbata producent plausus, & in omnibus omnis

Christus erit Divo cum Patre & Flamine Divo.

Istius intuitu lucis quis gaudia condat!

Quis non arcanos in pectore sentiat ignes?

Ipse, animum certe mihi quum subit ejus imago,

Hei mihi! quam me extra rapior, quam inflammar an-  
helus!

A 2

Jamq;

metropoli

Jamq; alte super astra feror, qua lumine multo  
Circumfula Dei majestas alma coruscat.

Da nobis hoc vere frui, da gaudia inire  
Lucis inaccessæ, atq; ipsum te cernere solem,  
Virgine nate Deus: qui sub primordia veris  
Turpiter amissum vitæ cælestis honorem  
Instaurasti ardens: tenebras & tædia longa  
Impacatae hyemis meliori sidere mutans.

Nam patris offensi quum vindex ira nocentum  
Exigeret poenas, quod sub primordia mundi  
Labe creaturas turpi maculasset Adamus,  
Mandati oblitus Jovæ, & simul omnis in illo  
Posteritas rea facta esset: jamq; horridus Orcj  
Arbiter ardentes (caput horum & caussa malorum)  
Ad flamas miseros & non cessura vocaret  
Tormina: tu genitorem inter lapsosq; rebelles  
Te mediatorem statuisti: & quicquid acerbi  
Vi multa impostor mortalibus intentabat,  
In caput auctoris vertisti criminis hujus.

Ille quidem furiis armatus, & agmine diro  
Horrendæ Stygis, ad pugnam descendit atrocem,  
Nilq; intentatum linquens, tibi vulnera fixit,  
Eripuitq; adeo vitam (nam morte piandum  
Crimen erat) sed quum victum te crederet amens

Victorem

Victorem expertus, pâlmæ tibi cesit honore.

Atq; ita quod primum, nascentis origine mundi,  
Ver male perdiderat, reparatum hoc vere secundo  
In melius rediit. placata est fæva parentis  
Ira furorq; tui. coiere in fædera dextræ  
Te sponsore novo, legesq; utrinq; ferente  
Antea inauditas: quas ipse exhorruit exîpes,  
Et secum indignans etiamnum obmurmurat hostis.

Ista renaſcentis mihi tempus amabile veris  
Suggerit, & si non alias cantata fuissent,  
Materiam mihi jure darent: ut plectra resumens,  
(Dum mea nunc vernans se lætiore explicat arbor,  
Naturæq; imitata vices nova robora sumit)  
Grata Deo facilis meditarer carmina vena.

At nec veris honos, hilaris nec gratia florum,  
Demulcet mihi tristem animum: sed corda fatigat  
Luctibus, atq; oculos lacrymis perfundit obortis,  
Atq; alios plane tacito sub pectore motus  
Concitat, & penitas inflamat Musa medullas  
Igne novo, ac tristes numeros & lugubre carmen  
Poscit, nec solito mihi fas decurrere plectro,  
Dum modo, prælustri prognatus origine Cimbrûm,  
Maximus antistes, & nostri gloria secli,  
Vere novo hoc mundi, cælestia gaudia veris

B

Æterni

Æterni mutat, terrenaq; cuncta perofus  
Sideris in numerum magno succedit Olympo,  
Nil præter desiderium orbi triste relinquens.

Pareo Diva tibi, non uno nomine tanti  
Debitor officii. Scis ipsa, & scire fateris,  
Quam facilis mitisq; tibi, quam semper amicus  
Extiterit, fragilesq; decori corporis artus  
Crediderit nostris per bina decennia curis.

Pareo Diva tibi, ac promptus tua iusfa capessens,  
Altius herco deducam pectore carmen,  
Ferales numeros, & lamentabile carmen.

Quod dum ago, dumq; novo cupidus me accingo  
labori,  
Non te heic Bacche pater, vatum licetaurea plectra  
Vix sine te quicquam possint, nec te augur Apollo,  
Nec Charitas, patrioq; cerebro Pallada natam,  
In mea vota voco. majus modo numen adoro,  
Majus opus tentans. non, si mihi totus in haustus  
Detur Castaliæ gurges purissimus undæ,  
Omnia non lucis spatio, non noctis abactæ,  
Exequerer penito mentis concepta recessu.

Tu tantum ipse meo præsens succurre labori,  
Ut te digna canam, Princeps: quem vivus amasti,  
Divus ama; & placidus vires animumq; ministra  
Dicenti,

Dicenti, atq; p̄is adspira leniter ausis,  
Dive pater, cœlo decus addite, ô Indiges heros.

Unde sed auspicium mihi carminis? unde laborem  
Ordiar, & magnis ducam primordia rebus?  
An genus & proavos memorem, stirpemq; vetustam  
Cimbrorum, & stantes utroq; in sanguine Reges  
Augustæ matris, magniq; parentis Adolfi?

Illustri quid stirpe prius? quæ major origo,  
Quam quæ regales apices trabeasq; recenset?  
Quid vero generosa patrum, cumulataq; prosunt  
Nomina, & à multis repetita insignia seclis,  
Si virtute vaces, & degenerasse feraris  
Majorum virtute minor? diademata crebra,  
Magnanimosq; Duces, multosq; ex ordine reges,  
Hic patriæ Princeps noster, cui justa paramus  
Debita, cum posset jactare, modestius egit:  
Credens esse aliquid genus, atq; juvare nepotes  
Magnis esse satos, & quos imitentur habere:  
Esse aliud quod nobilitet, si vera petatur  
Nobilitas: non hanc ulli de stirpe caduca  
Profluere, at proprio virtutum è pondere nasci.  
Hæcq; animo illius semper sententia sedit.

Sed novies quinum jam circumvolvit annum  
Sol oculus mundi, & quartum superaddidit orbem,

Ex quo illum primas productum in luminis auras  
Pierides diae tenera de matre cadentem  
Ambrosio fovere sinu, ac mentemq; sagaxq;  
Finxere ingenium magnis virtutibus aptum...  
Illa dies præclara fuit felicibus astris  
Et positu cæli, docuit mox exitus ingens.

Tempore nam ex illo vernans in limine vitæ  
Floruit, & multorum in se deflexit ocellos,  
Delicium matris sumimum patrisq; voluptas.  
Qualis in aprico succrescens flosculus horto,  
Dum fœcunda illum mulcet Zephyritis, & imber  
Educat, & miti perfundit lumine Titan,  
Pullulat, & calycis grato fulgore coruscans  
Ridet & ambrosium late diffundit odorem...

Mox etiam heroæ se vivida semina mentis  
Exferere, & Genii dotes: magnoq; parente  
In cunis jam dignus erat. puerilibus annis  
Mens fuit ad recti justum propensa tenorem:  
Non levitas, non illecebræ, non fastus adhæsit...  
Simplicitas prudens, simplex prudentia, vitæ  
Norma piæ, mores formaret labis egenos.  
Addidit his porro solertis cura magistri  
Linguarum & sacrae Sophias mysteria prima...:

Addidit

Addidit historiæ succum veterisq; novæq;;  
Terq; trium quicquid condunt arcana Sororum.

Ast ubi jam firmata virum maturior ætas  
Fecerat, & quæ esset, poterat cognoscere virtus,  
Magna animo volvens, Ithaci prudentis adinstar,  
Multorum mores hominum cognoscere, & urbes  
Gestiit, & populos alio sub Sole calentes.

Tum patriæ fines & dulcia rura relinquens,  
Nobile Gallorum regnum novus hospes adire  
Arsit, & antiquos metiri hoc nomine Francos:  
Qua Rhodanus velox, Araris qua pigrior illos  
Irrigat, & reflui perniciosa unda Garumna.

A Gallis abiens, transmissis Alpibus ipsam  
Italiam accessit: Patavina ubi moenia primūm  
Ingreditur, miratus opes, sacrataq; Musis  
Atria, quadrato Collegia stantia saxo;  
Medoaciq; lacum, Minciūq; Arniq; fluenta,  
Et flavum vidit Tyberim, Romæq; cadaver,  
Spirantesq; aliquid tristes immane ruinas.

Inde redux Gallis, superatis rupibus altae  
Pyrenes, fessus Titan ubi vergit in undas,  
Hesperiæ vidit populos, & Iberica regna  
Ditia; ubi fulvo Tagus in mare volvitur auro.

Tandem etiam nostro divisos orbe Britannos

C

Lætus

Lætus adit, visurus ibi loca lata, sibiq; A  
Cognatas gentes, quas illuc transtulit olim  
Fratribus Hengisto atq; Horsæ comes additus Anglus,  
(Fertilis Anglus agri cultor, quem flumina cingunt  
Hinc Fleuvi, inde Sliæ,) atq; suo de nomine dixit.

Fregerat interea Russorum robora Marte,  
Livonosq; suis devictos junxerat armis,  
Et cum Sarmatico ad tempus convenerat hoste  
Ac jam Teutonicis viator confederat arvis,  
Magnanimus prisco Sueonum de sanguine Princeps,  
Gustavi Augusto cui contigit omine nomen..

Ille lacesitus multum, majoraq; ab hoste  
Infano metuens, trucis ad confinia Balthes  
Littora, & impatiens iræ, victoria tandem  
Vindex arma capit, Viadriq; gemente receptus  
Flumine, fulmineum dextra rotat impiger ensem  
Vandalicos per agros: nilq; hostem tale timentem  
Aggressus bello, de finibus undiq; turpi  
Fecit abire fuga: & transmissio fortiter Albi,  
Deprensum ad vitreas ripas flaventis Elistri,  
Lipsia qua celum caput inter nubila condit,  
Tilliaden multa palmarum laude superbum  
Stravit humi viator, spoliis q; insignis opimis  
Progrediens, Moeni domuit Nicriq; fluenta,

Et

Et Rheni Gothicis submisit colla catenis:  
Ac tandem in Francis ad amicam Noridos urbem  
Substitit, atq; novo opposuit se fortiter hosti.  
Audiit hæc noster, peregrino ex axe reversus,  
Exultansq; animo, laudisq; accensus amore,  
Visere cognatas acies, & Regis amici  
Ora tueri ardens, Pegnesi accedit ad annem.  
Ut vero ventum est coram, votoq; fruisci  
Contigit, & notas audire & reddere voces  
Fas fuit, alternis avidi complexibus hærent  
Alter in alterius, dextrasq; & foedera jungunt.

Interea gelidum Suecus festinat ad Istrum,  
Et comitem secum deducit ad omnia Cimbrum.  
Amneq; trajecto Augustæ devota subintrat  
Moenia, Vindelicis posuit quæ Rhætus in oris,  
Extulit Augustus: Monachiî dein versus ad urbem  
Bojas victor opes, spoliatumq; abstulit aurum,  
Ac prædam multis quæ ibi servabatur ab annis.

Heic alios Cimbro motus sub pectore versat  
Mars pater, à tenerisq; ipsi bene cognita Pallas:  
Quem super ipse sua molitus laude laborem,  
Pro patriæ cultu, pro relligionis honore  
Induere arma cupit: binis legionibus ardens  
Cognatas augere acies: Regemq; salutans,

C 2

Atq;

Atq; domum properans, armis circumdatus ipse  
Piscit in arma viros, ferrumq; capeſſere suadet,  
Et glomerare manus: ac nil niſi prælia ſpirans  
Omnibus accedit mentem Mavortis amore.

Verum ea dum paſſim, magno turbante tumultu  
Confiunt, totisq; canuntur clasica campis,  
Fata parant aliud, votis contraria magni  
Principis. illa jubent capulis abjungere dextras,  
Et ſtudium blandæ pacis pro Marte pacifici:  
Dum moderante Deo ſuffragia conſona Patrum  
Egregium virtute Ducem meritisq; potentem  
Fascibus admoveare ſacris, clavumq; dedere &  
Pontificale pedum, Lubeca ubi libera cœlo  
Erigitur, ſublime ferens ſuper aſtra cacumen,  
Travaq; mox gelidum ſalſis caput obruit undis.

Agnovit Jehova tuos sanctissime ductus  
Maximus Antistes, & toto pectore grates  
Concipiens, lauru ramum felicis olivæ  
Mutavit, vitamq; aliam moresq; resumpsit:  
Et bonus atq; animi mansuetis Epifcopus eſſe  
Maluit, adverſis hoſti quam occurrere signis.

Quid vero mitramq; gerens & ſacra profeffus,  
Præſtiterit, nec fama filet, nec rumor inanis  
~~Ventoſſer inber~~, ~~pax in ibi verſus illuxit~~  
Ventoſ Exſis

Ventos ferre jubet, paucis mihi versibus illud  
Fas meminisse hodie, & vivaci inscribere charta  
Quæ vis sublimem tulerit super ætheris oras.

Primam operam sensit non parvo arx ære refecta  
Quam tenuit sedem, templum mox addidit arci,  
Quod deerat, multoq; hodie præfulgurat auro,  
Artificumq; nitet doctis in pariete dextris,  
Præfecitq; illi largo mox ære ministrum.

Adde tributa scholæ, pueris quam condidit alta  
Stirpe satis, sed quos premeret fortuna novercans,  
Resq; Augusta domi. studiis ut rite peractis  
Officiis olim fierent gravioribus apti.

Illos deinde novus Musarum fautor, & alter  
Musagetes summo genitus Jove, Cilnius alter,  
Regibus ortus avis, varias mittebat ad oras,  
In queis ulterius Phoebo Musisq; vacarent  
Asfidui, sic mitem animum, dextramq; benignam  
Erga artes artisq; sacros testatus alumnos.

Id mihi testis erit magnorum filia Guelfum  
Julias, in toto notissima Julias orbe,  
Et Leida in Batavis Musarum nobile fidus.  
Testis idem Gallus, tellus Oenotria testis,  
Sæpius unde domum, virtute atq; ubere gaza  
Doctrinarum aucti, Domino rediere clientes.

D

Tan-

Tandem etiam; (Latii quod non nisi verna tyranni  
Improbet, & priscis fuerat res libera mystis  
Condere spem generis & circumducere nuptam:)  
Applicuit mentem tædis, nymphamq; venustam  
VVürtenbergiacæ prognatam ab origine stirpis,  
Qua vetus incumbit gelido Studgardia Nicro,  
Conjugio junxit propriam sibi: plurimus unde  
Sperabatur honos, & plurima turba nepotum.  
At Lachesis truculentæ, secundis invida rebus,  
Spes patris & matris letho interceptit opimas.  
Unus adhuc superat generosi sanguinis hæres,  
Egregius princeps, pulcram cui mentem animumq;  
Cynthius inspirat, faciles cui poscimus annos,  
Nestoreosq; dies: ut divum numere felix  
Et premat & superet patriæ vestigia plantæ.

Plura dolor proferre vetat lacrymæq; calentes  
Impediunt vocem, tum cuncta ut proloquar ore,  
Non opis est nostræ, nec magno quicquid in orbe  
Pierii coetus doctrinæ nomine claret.

Omnia quæ reges DIs immortalibus æquant,  
In te opulenter erant, Præsul mitissime: vita  
Integritas, insonsq; animus, reverentia constans  
Numinis æterni, nullaq; in parte vacillans  
Relligiosa fides, pietas innoxia, candor,

-nisi T

D

In

In cives prolixus amor. hinc omnibus olim  
Spectamen virtutis eris, quod secula nondum  
Nota legent, quod posteritas feret omnis in ore.

Ma<sup>c</sup>te tuo veteres æquans heroas honore,  
Dive pater patriæ. non ulla oblivia nomen  
Obscurare tuum, factisq; evellere possunt.  
Dum varius Balthes peregrinus navibus hoipes  
Æquora fulcabit, dum carbasa multa videbit  
Gambrivius Zephyros passim captare secundos,  
Et vitreus pingues dum dividet Eidora terras,  
Semper honos, laudesq; tua<sup>e</sup> nomenq; manebit.

Salve magne Pater, salve: decus addite cæli  
Ordinibus salve. Salve æternumq; valeto.

F I N I S.



PRINCI-

# PRINCIPIS

OPT: MAX:

ET  
IN COMPARABILIS,  
PIE DEFUNCTI

# TUMULUS

ET

# MONUMENTUM CHARTACEUM

HEINRICH



QUICUN-

PRINCI-



QUICUNQUE HAC TRANSIS,  
VIATOR,  
LICET PROPERES, ADSTA PAULLUM

ET QUIS FUERIM, QUIDQUE JAM SIM,  
ET QUID TE VELIM,  
DISCE.

ME  
**JOANNEM,**  
EX REGIA FAMILIA PRINCIPEM,  
HEROS GENUIT FORTISSIMUS  
**JOANNES ADOLPHUS,**  
NORWEGIÆ HÆRES,  
SLESVVICI HOLSATIÆQUE DUX,  
EX HEROINA ILLUSTRI,  
**AUGUSTA CIMBRICA,**  
SERENISSIMI DANORUM REGIS  
**FRIDERICI II.**  
FILIA.

E

PRIMIS

PRIMIS AB ANNIS AD PIETATEM INFORMATUS,  
MOX STUDIIS TRADITUS,  
DEUM SERIO COLERE,

BONAS LITERAS ARTESQUE AMARE  
OCCOEPI.

## ADULTIOR FACTUS

GALLIAM, ITALIAM, HISPANIAM, ANGLIAM  
HOSPES ADVI:

REVERSUS  
MILITIAM ET GRAVE MARTIS OPUS

SEQUUTURUS,

## GUSTAVO MAGNO,

SVECORUM REGI INVICTO  
OPERAM ADDIXI.

VERUM IN PROCINCTU STANTEM  
FATA ALIO VOCARUNT.

A CATHEDRALI LUBECENSIMUM ECCLESIA  
IN EPISCOPUM ELECTUS,

VITÆ TRANQUILLÆ, STUDIISQUE  
ET LITERIS POSTLIMITINIO  
REDDITUS,

ME TOTUM ILLIS ADDIXI,  
LITERATOS AMAVI,  
JUVI,

ADOLESCENTES MINUS FORTUNATOS  
IN SPEM PATRIÆ ERUDIRI,  
IN ACADEMIIS,

EXTERISQUE REGIONIBUS,  
NON EXIGUIS SUMPTIBUS  
SUBLEVARI FECI,

SUBDITOS PATERNE REXI.

DE

DE SCENA MIGRARE MUNDANA  
JUSSUS, FATALEM METAM  
SINE METU ADVI,  
UNICO ORBI RELICTO HÆREDE MASCULO,  
QUI MEIS VESTIGIIS INSISTENS  
DESIDERIUM AGNATIS MINUAT.  
NUNC SEQUIOREM MEI PARTEM  
HÆC CRYPTA TENET,  
MELIOREM AD SE COELUM RECEPIT.  
TU QUI HAEC LEGIS,  
UNDE ORTUS SIS COGITA, ET  
IN QUOD REVERTERIS,  
AUT CRAS, AUT HODIE,

## VIATOR.

ABI.

---

NATUS ANNO C<sup>15</sup> JC<sup>6</sup> VI. XV. CAL. APRIL.  
OBIIT ANNO C<sup>15</sup> JC<sup>5</sup> LV. XII. CAL. MART.  
VIXIT ANNOS XLVIII. MENSES XI.

DE SCIRNU MIGRANTE MUNDANA  
Lassus RATALEM MATER  
SINE MELI ADI

DNCO ORBI FELICITO HERREDE MASCHIO  
QVI MIS AVILES ISABELLA  
DESIDERIUM AGNATIS MINAT.

MINGE GEGORI MIE HARTM

HIC CRYPTA TENT

MICOREI IP SE COFEM RECETI

IT QM HAFEC FEG

UND ORTIS SI COSEI ET

IN ODO REVERTERA

AUT CRAS AUT NOLE

ALTAI

NATIS ANNO QD IACC. X. CAL. ALII.  
OBIT ANNQ QD IACC. XL CAL. MAR.  
VIXIT ANNOS XIXI MENSES XI

ABDOLSON  
HOMINIS  
SUBLEAV  
SILENTI





Tandem etiam; (Latii quod non nisi verna tyranni  
 Improbet, & priscis fuerat res libera mystis  
 Condere spem generis & circumducere nuptam;) )  
 Applicuit mentem tædis, nymphamq; venustam  
 VVürtenbergiacæ prognatam ab origine stirpis,  
 Oua vetus incumbit gelido Studgardia Nicro,

